

**XII.** Correctio p̄rpetua versionis Bibliorum Lutheri vernaculæ, five in iis, quæ aut exigui aut nullius sunt momenti, five in illis, quæ sacro textui viciniora videri possunt, non infructuosa tantum est, sed & scandali plena.

---

Diff. V.

De

## Libris Symbolicis.

I.

**E**cclesiæ unitatem adversus luxuriantium ingeniorum proterviam certorum Symbolorum agnitione conservandam esse, omnibus seculis creditum fuit.

II. Ad ejusmodi Symbolorum multiplicationem sine gravibus causis deveniendum non est.

III. Nonnunquam tamen, exorientibus controversiis, Ecclesiam distracturis, quæ sopiri nullo alio conatu possunt, novæ confessiones necessariæ esse intelliguntur.

IV. Adstrictio ad talia libertati Filiorum DEI, à Christo ipsis partæ, adversa non est. II. Tim. I. 13.

V. Horum subscriptio, nisi novitatum pruritus studio promovere & portam aperire intestinis in doctrinâ dissensionibus velimus, in omnibus categorica esse debet; non quatenus, sed quia verbo Divino conformia sunt.

VI. Nemo ex eadem causa vel ad officia Ecclesiæ vel ad subscriptionem admittendus est, nisi qui doctrinæ in iis contentæ Divinitatem præviâ exploratione agnoverit.

VII. Subscriptio Librorum Symbolicorum obligat ad dogmata, in iis contenta, non ad accidentalia alia.

VIII. Nostri tamen Libri Symbolici consideratione temporis, quo editi sunt, æquè ac Symbola antiquiora, sui temporis respectu, ab erroribus immunes meritò pronunciantur.

IX. Libri Symbolici accipiendi sunt *in sensu sui fontis, è quo profluxerunt, S. Codicis, auctorum, qui eos concinnarunt, confessorum, qui iis constanter adhaeserunt, & consequentiarum, quas verba posita legitimas admittunt.* D. Dannh. in Christ.

X. Ut